



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

viis meis , ut insidias pellant , laqueos infringant , lapides tollant , iter explanent , quò demum ad te sine errore & offensione perveniam.

C A P. L I I I .

AT, si tibi mea salus cordi est, dulcis ac reetus Dominus, jube deprecor, ut ad defensionem meam excubent duo illi propugnatores longe fortissimi , quibus præsertim defendantibus , carnis desideria conticescunt , nec adversus spiritum commovere se audent ; timor nimirum tuus , & cor contritum & humiliatum. Eia age , piissime ac misericordissime Domine ; quoniam ita es propensus ad ignoscendum iis , qui amaro sunt animo , ne confundas me , obsecro , sed facias mecum secundum mansuetudinem tuam. ac primum confige timore tuo carnes meas : deinde largire mihi , ex memoria peccatorum meorum , intimum animi dolorem , ac veram cordis contritionem ; qui dolor ita sit summus , ut à spe veniam consequenda non deseratur , cujusmodi fuit Iudæ proditoris tui pœnitentia ; ita intensus , ut nullam ex me talem vocem eliciat , qualis audita est ab eo , qui misericordiæ tuæ , cuius non est numerus , certos fines præfiniens , dicebat , Major est iniquitas mea , quam ut veniam merear ; neq; impius intelligebat , quam benignus sis , ac præstabilis super malitia , & quod nulla peccatorum tanta vis est , quæ , in immensum miserationum tuarum pelagus influens , non ab eodem excipiatur absorbeaturque.

C A P.